

- 5 coleret, iugera quingenta. At Cato in Origine generis
 □ Romani ita docet: Suem triginta porculos peperisse
 in eo loco, ubi nunc est Lavinium, cumque Aeneas
 □ ibi urbem condere constituisset propterque agri steri-
 litatem maereret, per quietem ei visa deorum penatum 5
 simulacra adhortantium, ut perseveraret in condenda
 urbe, quam coeperat; nam post annos totidem, quot
 foetus illius suis essent, Troianos in loca fertilia at-
 que uberiores agrum transmigraturos et urbem cla-
 rissimi nominis in Italia condituros. 10
- 13 Igitur Latinum Aboriginum regem, cum ei nuntia-
 tum esset multitudinem advenarum classe advectam
 occupavisse agrum Laurentem, adversum subitos inopi-
 natosque hostes incunctanter suas copias eduxisse ac
 priusquam signum dimicandi daret, animadvertisse Tro- 15
 ianos militariter instructos, cum sui lapidibus ac su-
 dibus armati, tum etiam veste aut pellibus, quae eis
 integumento erant, sinistris manibus involutis proces-
 2 sissent. Itaque suspenso certamine per colloquium in-
 quisito, qui essent quidve peterent, utpote qui in hoc 20
 consilium auctoritate numinum cogebatur (namque ex-
 tis ac somniis saepe admonitus erat tutiorem se ad-
 versum hostes fore, si copias suas cum advenis con-
 3 iunxisset) cumque cognovisset Aeneam et Anchisen
 bello patria pulsos cum simulacris deorum errantes 25
 sedem quaerere, amicitiam foedere inisse dato invicem
 iureiurando, ut communes quosque hostes amicosve
 4 haberent. Itaque coeptum a Troianis muniri locum,
 quem Aeneas ex nomine uxoris suae, Latini regis fi-
 liae, quae iam ante desponsata Turno Herdonio fue- 30
 5 rat, Lavinium cognominavit. At vero Amatam, Latini
 regis uxorem, cum indigne ferret Laviniam repudiato
 Turno, consobrino suo, Troiano advenae collocatam,